





13

DISSERTATIO INAUGVRALIS
MEDICA 1724/10

MEL SACCHARO
PRAESTANTIVS

DECLARANS

QVAM

FAVENTE DIVINO NVMINE

CONSENSV

GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM

IN

INCLYTA NORICORVM PALAEOCOME

PRO LICENTIA

SVPREMOS IN ARTE MEDICA

HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORVM

LEGITIME CONSEQVENDI

PVBLICAE PHILIATORVM DISQVISITIONI

SVBMITTIT

AD D. MARTII A. R. S. clo Ioccxliiii

FRANCISCVS PETRVS MEL
VETERO-PRAGENSIS BOHEMVSV.

ALTDORFI NORIC.

TKPIS IOD. GYIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.



DISERTATIO INAGGREGALIS
MEDICA
MEL SACCHARO
PRAESTATIVS
DECURANS
A GIAN
FAVENTE DIVINO NUMINE
CONSENSU
GRATIOSI ORDINIS MEDICORUM
IN
INGLYA NORICORVM PALATOGOME
PRO LICENTIA
EXERCIJ IN ARTE MEDICA
HONORIS AC PRIVILEGII DOCTORUM
THEOLOGICORUM CONVENIENS
PALLACIUM VINDOBONENSEM
AD D.
MARTINUM R. S. DISSESSORUM
ERANISCVS PETRVS MII
VET. NO. PRAESENS NOMINE

Altorf, W. 1710
H. 1710. 1710. 1710.





PRAEFATIO.

Linter res innumeras, a divina bonitate usui mortalium concessas, illa praeter ceteris merito suo magni sunt, quae non solum ad vitam sustentandam necessariae, verum etiam multiplicis utilitatis sunt, ipsoque usu suo singularem quandam voluptatem asserunt. Ne per plura methodum genera, de alimentis sane hoc in confesso est, quod, cum generatim considerata maxime necessaria sint, ea tamen reliquis communiter anteferantur, quae non solum nutriunt, sed etiam cum suavitate assumuntur, et peculiariter insuper commoda valetudini asserunt. Hoc nomine celebrantur uniuersae quidem dulcia, et ex ipsorum ordine MEL inprimis, utpote inventione et usu sine dubio antiquissimum. Sicuti autem saepius fieri solet, ut res quotidiani ac per-vulgati usus, aliis consimilibus noviter inventis, postponantur, ita fere idem accidit melli, recepto jam in ejus locum et commendato plurimum saccharo. Id quamvis interdum recte, aut citra errorem fieri possit, non raro tamen committitur cum manifesta in mellis bonitatem injuria. Quapropter, quantum id, non uno respectu, nomine et casu praestet saccharo, hac DISSERTATIONE INAUGURALI breviter ostendere constitui. Faxit divinum Numen, ut de re adeo jucunda et suavi non minus utiliter quam suaviter differam!

§. I.



Um modo promiserim, quod materiam propositam tractare velim breviter, nemo Lectorum a me postulabit prolixam evolutionem *historia naturalis*, tam *sacchari*, quam *mellis*, utpote rerum hominibus etiam non eruditibus abunde cognitarum, & de quarum origine, nascendique & comparandi modo pleni extant auctorum diversorum commentarii. Neque seorsim istam morabor controversiam, a compluribus agitatam, *utrum mel ex meteo isto*, quod nocturno inprimis tempore in plantas decidere, & *roris mellei* nomine appellari vulgo solet, *an e succo delicatiori stirpium*, praesertim *florum ab apibus colligatur*? In utramque enim partem non paucos graves eruditosque viros inclinare video. Verum enim vero nihil obstare arbitror, quo minus *utrumque statuatur*, quin necessario statuendum esse simul *utrumque existimo*, cum neque *ros* ille, propter dulcedinem nuncupatus *melleus*, neque *plantarum*, qualiscunque *succus per se & solus ad mellificii perfectionem*, aut certe copiam elargiendam sufficere videatur.

§. II.

Ad *rorem* quod attinet, quamvis ille a particulis sulphureo-falinis, tam e terra, quam e poris plantarum exhalantibus & in sublime raptis aggregatus, ab atmosphaera refrigerante rursum praecipitetur, *interdum revera dulcis* delabatur, proptereaque apibus & pabuli & *mellificii* gratam paratamque materiam praebet, vero simile tamen est, quod talibus particulis destitutus etiam *ros*, sola subtiliori aquea natura sua imbuendo flores & folia stirpium, ita quasi maceret atque recludat eadem, ut erumpere ad superficiem dellectior succus, & ab isto rore, tanquam vehiculo exceptus, in abundantem facilemque praedam apibus cedere queat.

§. III. Prio-

Priorem equidem roris conditionem, quod apibus ad mellificium commodet, non pauci negant, quibus tamen propriam non minus, quam alienam in contrarium observationem opponit vir in omni historia naturali versatissimus *Jo. Rayus* (a), quod utique delapso rore melleo integra fere apum examina, paucissimis domi relictis evolent, miraque industria & maxima festinatione sese emercent melle, quod ad abvearia convehant, multoties eundo redeundoque donec calor solaris rorem dissipaverit. De altero simpliciori, nec reapse dulci rore, & ejus ad mellis apparatus laudato concursu & aptitudine non puto ullum dubitationi locum superesse, quo magis constat, irroratas plantas hinc turgescere, & non exiguum virtutis suæ partem in materiam roris transfundere; apes vero conditum hac ratione humorem, e florum præsertim cavernulis avide exhaurire.

§. IV.

Quod autem ipse *nativus plantarum succus in mel* ab apibus convertatur, idemque magnam partem constituat, nulla opus esse puto probatione, quo notius est, *mella obviarum copiosius plantarum odorem, saporem, ipsasque vires sapius referre*, ut noxia quoque & venenata earundem natura interdum in *melle* usu veniat; quemadmodum pridem *Plinius* (b) observavit, quamvis neget dixisse auctores, e quibusnam floribus tale *mel* fiat. Diserte tamen *Dioscorides* (c) perhibet in *Heraclia Ponti*, ubi *aconitum nasci solet*, inveniri *mel* ejusmodi, quod, qui edunt bibuntve, non secus afflicentur, quam qui *aconitum* assumerunt. Idem vero scriptor (d) in *Sardinia mel amarum gigni* tradit, quoniam apes ibi *absinthio* vescantur, propterea quidem non insalubre, attamen ingratum, & usibus externis saltem inserviens. Ceterum

A 3

illis

(a) vid. Samuel Dale *Pharmacol. cap. de apibus.* (b) *Lib. XXI. c. 13.*
 (c) *Lib. II. cap. 103. & 118.* (d) *Lib. II. 102.*

illis maxime locis *præstantissima* confici *mella* exploratum est, ubi *fragrantes* abundant *flores*; quo nomine *Hymettus* Atticæ regionis & *Hybla* Siciliæ montes, pridem celebrati sunt, propter *thymi* præsertim bonitatem & copiam; unde permota Romanorum ingeniosa gula consilium dedit transplantandi ex Attica in suam regionem *thymi*, delicatioris *mellificii* causa.

§. V.

Instituti ratio nunc haud permittit, immorari longius *considerationi physica mellis*; quare ad *saccharum*, utpote cum quo mel conferendum proposui, æque breviter delineandum accedo. Quanta autem inter utrumque *dulcedinis* præsertim, tum & *usus* respectu sit *similitudo*, magis est manifestum, quam ut a me doceri debeat, quin etiam e synonymia apparet, quando *saccharum* Arabico aut Indico appellatum idiomate, jam pridem *arundineum mel* nuncupatum fuit. Nempe illud alicujus arundinis expressum coactumque succum esse, vulgo quoque constat. Olim quidem *Dioscoride* (e) & *Plinio* (f) testibus id Arabia felix, præstantiusque India suppeditavit, hodie autem pluribus e locis, & præcipue Occidentalis Indiæ, quam dicimus Americam, afferri solet, magno itidem bonitatis puritatisque discrimine, ut profecto *longe plures* memorentur *sacchari*, quam *mellis differentie*, quarum tamen commune, aut præcipuum saltem fundamentum existit *major minorve purificatio artificiosa*.

§. VI.

Hic statim emergit *aliquod prerogative mellis specimen præ saccharo*. Illud enim est revera *ευραριστόν τι*, vel quod exiguum & interdum nullam hominum preparationem ad usum multiplicem requirit. Ut enim taceam, quod propemodum ubique locorum, rigidior etiam sub cælo, mirifica apum industria *mel* comparetur, siquidem non solum quondam Palæstina s. terra sancta, divino

(e) *Lib. III. cap. 104.* (f) *Lib. XII. cap. 8.*

divino S. Literarum elogio, *melle non minus, quam lacte fluens*, five abundantissima fuit, sed hodieque passim *citra domesticam apum culturam, sylvestribus locis* uberrime provenit; cujusmodi Græcis μέλι ἀγέρον dicitur, nec quicquam a domestico bonitate differt, nisi plantæ, a quibus apes colligunt, discrimen faciant. Non alienum erit hic inferere observationem novissimam D. Christ. Henr. Erndelii, Reg. Polon. Archiatri (g): *Ingens mellis in Lithuania proventus facit, ut Mulsum equali fere cum cerevisia pretio veneat: sponte enim sua per omnes sylvas, adeo & plura milliaria extensas alicubi invenies; fusa apum examina arboribus insident, & sicubi cavi aliquid repererint, spargunt mella, quin rimis quoque terra hiatibus se condunt, passimque vim cere mellisque fundunt; adventientia examina (nam mos apibus se invicem pellere, acribusque praliis, veluti justis aciebus inter se concurrere) ruricola prohibent, quo veteribus veluti hereditarie sedes maneat; hic unus cultus illis habetur; plurimum mellis irreperitum neglectumque perit; itemque ab ursis aufertur & devoratur. Optimum autem mel ab apibus colligitur in illis locis, ubi copiose in sylvis tilia, ex floribus hujus arboris, & mulsum inde paratum vernacula lingua Lipiec appellatur, omnibus aliis mulsis speciebus preferendum, rarius illo tempore, quando tilia propter æris inclementiam non bene aut parcius florent.*

§. VII.

Contra autem *saccharum*, quamvis alicubi & in utraque India arundines illud proferentes sua sponte nascantur, plerumque tamen *operoso satis cultu propagatur, multoque labore conficitur*, exprimendo liquorem per machinas idoneas ex arundinibus, deinde coquendo & coagulando; quod nisi intra XXIV. ab expressione horas peragatur, mox ille succus acefcit, & ad conficiendum *saccharum* profusus fit inutilis. *Mel vero tali hominum opera & labo-*

(g) Ephemerid., A. N. C. Cent. IX. & X. p. 477.

laborioso preparandi modo nec quicquam indiget ad sui conservationem, sed e suis alveariis exemptum, vasisque congruis exceptum, partim utro effluit e favo, partim facili negotio exprimitur, & a cera separatur, quæ & ipsa singularibus multis magnisque usibus inservit; cum residua calami sacchariferi materia post expressionem succi, nihil amplius valeat, nisi forte ad porcorum faginam.

§. VIII.

Ceterum mel ita crudum, & vix a suo favo dimissum non modo perfectum in se, ac per longum tempus durabile existit, verum etiam aliis rebus corruptioni obnoxiiis superfusum easdem defendit & conservat; uti sane antiquissimus humana cadavera condiendi modus ille per mel æque ac ceram narratur ab historicis, quorum testimonia cumulavit Gabriel Clauderus (h). Quid? quod olim etiam ante sacchari inventionem, aut certe frequentem usum, res variae ad victum & medicinam utiles, per se autem minus durabiles, sed ad putredinem proclives, affuso melle servari consueverunt: Ea enim ipsius, recte animadvertente Plinio, (i) est natura, ut putrescere corpora non sinat, jucundo sapore atque non aspero, alia quam salis natura. Hinc veterum electuaria, conserva herbarum, florum, radicum, conditura item fructuum, alias facili putredine pereuntium, & syrups e succis corruptioni pariter obnoxiiis cum melle, non solum ad commendationem saporis, sed & longam ætatem ferendam conficiebantur.

§. IX.

Neutiquam me fugit, quanto mortalium consensu, ab aliquot jam sæculis substitutum in mellis locum sit saccharum, eisdemque majoris suavitatis causa prælatum in condiendis rebus illis, ad medicinam non minus, quam ad victum pertinentibus: Novi vero

(h) method. balsam. p. 37. sequ. (i) Lib. XXII. cap. 24.

vero etiam, quod nihilominus hodie, ob iustas causas, mel retineatur in compositionibus non paucis, praesertim antidotis. Voluerunt enim, sicuti prudenter iudicat Bern. Dessenius Cronenburgius (1), medici vetustissimi quique huiusmodi medicamenta melle excipere, non ad saporis tantum gratiam, verum etiam insuper, ut diutissime Antidota fermentata in vigore illaesa conseruentur. Hac enim virtute conservatrice mel maxime praeditum est, ut difficillima de causa vitium aliquod contrahere, quae secum commixta sunt, patiantur; siquidem putredinem ab omnibus rebus arceat, & putredini obnoxia in annos quamplurimos integra reddat. Luculento praeter ceteris exemplo est Theriaca, cuius tot ac tam diversa ingredientia melle excepta, & cum vino decenter fermenta, non solum in unum aequabile magma transeunt, verum etiam legitima desiderataque consistentia, integris viribus, per annos plusculos, mellis praesertim beneficio perseverant; quale quid a surrogato in ejus locum saccharo peperam expectaretur, neque in tanto hujus proventu, ac vili pretio & majoris suavitatis praedjudicio, tentatum haecenus nedum effectum a quoquam fuit. Nempe saccharum liquefactum nimis, cum rebus, quas conservare debet, corrumpitur, inspissatum vero nimis obrigescit, nec mediam retinere diu consistentiam potest.

§. X.

Taceo tot alia electuaria frequentis usus, in quibus mel, secundum antiquas praescriptiones, propter laudatam utilitatem saccharo utique praefertur, nec decantatas oxymelitis scillitici, mellis rosati, violati &c. compositiones in argumentum prerogativa mellis apum praesaccharo adducam. Isti autem nunc potius, ineptae quorundam opinioni occurrendum foret, qui ad talium medicamentorum confectionem, in locum veri & sinceri mellis, syrupum sacchari, vulgo dictum, succedere posse autumant, nisi jam dudum explodendos tales, & a nemine tolerandos,

B

dos,

(1) de compos. medicam. p. m. 106.



dos, pronunciaffet laudatus *Dessenius* (m), qui pravo & scele-
rato animo syrupum illum vulgarem, ex ultima sacchari candi
coctura inutiliter profluentem, in eum usum convertunt, opere
plane nefario, cum faeces potius sint, quam res mera. Quia
nec ipsum saccharum rubrum, tametsi majorem cum melle con-
venientiam habere videatur, ipsimet citra injuriam substitui
posse, idem auctor edocuit.

§. XI.

Sed minoris fortasse momenti aliquibus videbitur, quicquid
hactenus ad declarandam mellis praestantiam in medium protuli;
quare ad alia progredior, & ea imprimis, quæ ad dieteticum ejus
usum pertinent. Inter alimenta locum habere mel, nemo, cui
natura ejus vel mediocriter est perspecta, unquam negavit, ut
non tantum simpliciter *τρεψιμον*, seu alibile, sed in altiori etiam
gradu tale judicatum fuerit a medicis peritis. Quandoquidem
A. Corn. Celsus (n) iis rebus mel annumerat, in quibus pluri-
mum sit alimenti. Possidet enim illud revera *γλυκρόν τι*, sive
viscosum quippiam, solidioribus etiam corporis partibus nutrien-
dis idoneum, statim in sensus incurrens, & a priori (ut ita loquar)
cognoscendum, facileque ex nativo lentore glutinoso æstiman-
dum. Hinc priscis temporibus *Pythagoricorum* esca ordinaria
mel cum pane fuit, *Aristoxeno* teste apud *Atheneum* (o): Hinc
in *S. Literis Testamenti* veteris passim legitur adjunctum mel la-
cti, ad designandam *Palæstinæ* ubertatem in elargiendis optimis
hominum alimentis. Hinc etiam *S. Johannes Baptista* tenuem
macrumque locustarum victum melle sylvestri emendavit ac ple-
norem effecit.

§. XII.

Hoc equidem certum est, quod istam nutriendi virtutem
mel exerceat potentius, si alimentis aliis, etiam a natura cras-
siori-

(m) l. c. p. 330. (n) Lib. II. c. 18. (o) *Deipnosoph.* Lib. II, cap. 7.

fioribus, *addatur*, quibus id accessione sua faciliorem conciliat in stomacho dissolutionem, eademque in succum & sanguinem promptius abire facit. Unde non mirum esse pronunciauit *Celsus* l. c. *opus pistorium valentissimum deprehendi, quod ex frumento, adipe, melle, caseo constat.* Hinc inter prificas bellariorum compositiones tot *placentarum exempla* commemorantur ab *Atheneo*, (p) in quibus *mel* eminet, ac præcipuam, si non mole, saltem virtute partem constituit. Taceo ipsius *Apicii Cælii* infinitas cupediarum formulas, quæ non minus optatæ nutritionis, quam suauitatis causa liberaliter *mel* recipiunt. At vero, dicit aliquis, idem nunc pariter fit cum *saccharo*, uti sane nimium sæpius fieri lubens fateor: Utrum vero *parem melli usum* præstet in nutriendo saccharum, id quidem, sicuti nullum insignis auctoritatis scriptorem, qui asseueraverit, ego novi, ita nec facile crediderim.

§. XIII.

De *melle* autem id plane constat, etiam *Hippocratis* (q) suffragio, quod si cum aliis assumatur, & nutriat, & bonum colorem exhibeat, calefaciendo nempe simul, ipso quoque saccharo potentius. Hæc præcipua est causa, cur temperamenti calidioris hominibus, & biliosis præsertim non æque conducatur liberali usu, quin & intemperiem cholericam inducere haud perperam credatur, quod unicum fere aut saltem præcipuum ejus incommodum accusari solet: Ast vero idem vulgi quoque iudicio impuratur *saccharatis rebus*, quæ insuper præ mellitis cruditatem stomachi generare non minus veraciter quam populariter censentur, ut nulla sit vulgatio opinio, quam hæc; der *Zucker schleimt.* Ne autem laudatam *mellis in victu atendi facultatem*, antiquitus saltem celebratam quis existimet, hodiernam ejus auctoritatem abunde confirmant *melliti panes, Lebkuchen* oder *Pfefferkuchen* quorum deliciarioribus & longe lateque de-

(p) *Lib. XV. c. 13, & seq.* (q) *de Affect. S. 50.*

sideratis speciminibus pridem excelluit, & adhuc eminet *Norimberga*, illis maxime, qui amygdalas cum aromatibus permittas, arcano & exteris vix imitabili artificio continent; quamvis nec sine amygdalis variæ compositiones displiceant, alibi quoque, cum primis *Thuronii in Prussia* magno plausu quæstigue venales. Hujusmodi panes non tantum probæ nutritionis & salubritatis, verum etiam delicati saporis gratia multi anteferunt pluribus saccharatis cupediis.

§. XIV.

Sed longe major copiosiorque mellis existit *usus forma liquida*, & in potu, itidem nutriendi sine. Sicut enim jam olim *Hippocrates (r)* *mel axprou*, sive *meracum*, *duplam vini meraci mensuram virtute ista superare* pronunciavit; ita prisca pariter temporibus excogitata & usitata fuerunt *varia ex melle poculenta*, variis appellata nominibus, e.g. *hydromel*, *melicratum*, *mulsum*, &c. quæ singula rursus variæ leguntur fuisse præparationis, tam apud Græcos, quam apud Latinos auctores, quod *Dioscoridem*, *Plinium*, *Galeum*, & *Rei Rustica scriptores* evolventi facile apparebit. Quomodo autem ista omnia pro potu, in locum vini adhibita quondam fuerint, ex ipsis antiquorum scriptorum monumentis diligenter edisseruit *Jo. Henr. Meibomius (s)*. Ego, relicta *veterebus ex melle potibus*, ad usitatum etiam nunc in Germania & vicinis regionibus, præsertim borealibus, *Medonem* vulgo *Meth!* provoço; quod vocabulum fortassis haud inepte a Græco *μέθυ*, h. e. *vinum*, sive a *μέθη*, h. e. ebrietas derivatum crederetur, ac propterea Latine efferendum, recte scribi posset *Methum*, quasi *potus inebrians vini instar*. Quam egregie hunc titulum tueatur *mellitus ille potus*, in tanta ejus celebritate nihil attinet dicere, nec modum ejus parandi enarrare, quo magis ipse notus est, pluresque passim existunt homines, qui artificio isto vacant, & lucrum inde aucupantur; quamvis non ubique locorum ejusdem bonitatis & suavitatis

(r) de vitu acut. §. 27. (s)

tatis *Medo* conficiatur, uti in Germania primas teneat *Ratisbonensis*, alias vero *Polonicus* & *Lithuanicus medo* maxime celebratur.

§. XV.

Breviter indicasse sufficiat, duo imprimis requiri ad ejus confectio- nem, ut nempe certa propositione *mel* coquatur cum aqua, & rite coctus intereaque despumatus liquor, deinceps sive cum, sive etiam sine aromatibus, fermentando in naturam vini transeat, cujus sane vicem adeo supplet *metum*, ut hoc suppetente innumeri fere homines defectum vini facillime ferant, sive salubritatis, sive jucunditatis & invitandæ hilaritatis, usque ad profundam ebrietatem, habeatur ratio. Ceterum mellitos potus, & nostratæ præcipue *medonem*, insigniter alendi facultate pol- lere, quemadmodum quotidianus tot populorum usus ostendit, sic seorsim validis argumentis demonstravit *Jo. Nardius* (1). Equi- dem haud ignoro, quod etiam ex *saccharo* parari possint ac so- leant generosi potus, *medonis* nostri, quin & vini ipsius æmuli, quemadmodum exempla talismodi e variis auctoribus collecta recenset *Meibomius* (u) nec non *Henr. Mundius* (x). Verum enim vero, utrum ad laudatam bonitatem *mellitorum potuum*, saltem nutriendi virtute, *saccharati* isti accedant, non modo du- bium, sed incredibile propemodum mihi videtur, quin potius per- suasum habeo, illos ipsos propter penuriam genuini apum mellis, ad qualemcunque *medonis imitationem* excogitatos & in usum traductos esse.

§. XVI.

Quantum autem porro *mel* præstet *saccharo*, imprimis evin- cit explorata *corroborandi* & *vires vitales rescicendi virtus*, quam Græci vocant *analepticam*. Nempe crudum etiam *mel*, *inedia diuturna exhaustis* illam virtutem confert, sicuti testimo-

B 3

nio

(1) *Disquis. de Rore* cap. XXIIX. (u) *l. c.* cap. XXII. (x) *Comment. de Esculentis* cap. X.

nio S. Bibliorum (y) expertus est Regius Princeps *Jonathan*; Cum enim pater ejus *Saul*, in expeditione adversus *Philisthaeos*; sub poena capitali interdixisset, *ne quis panem comederet usque ad vesperam*, donec ultus esset de inimicis suis; *Jonathan* vero hujus interdicti parum gnarus a singulari strenuaque cum hostibus pugna valde languens, forte *syloam* cum populo ingressus *mellifluens* deprehendisset, ac summitatem virgæ, quam habebat in manu, intinxisset in favum mellis, eo degustato illuminati sunt oculi ejus, h. e. totius corporis vires inedia fractæ ac debilitatæ, fuerunt instauratæ, sicuti recte illam phrasin interpretatur *Guil. Stuckius* (z). Talem vero ac tam præsentem vim analepticam in saccharo, quantumvis optimo & studiosè præparato, unquam fuisse observatam non memini, me legissè, multoque minus hoc, quod solo etiam odore viribus deficientes possit rescire, quemadmodum de melle constat, quod *Democritus*, narrante *Athenæo* l. c. cum sibi mortem consciscere per inediam decrevisset, rogatus a domesticis, ne intra festos dies tunc celebrandorum Thesmophoriorum moreretur, & illa sacra turbaret, mellis vas sibi jussu propius admoventi, atque sic in multos dies vitam rogaverit solo mellis odore & halitu continuatam, interieritque paulo post assortato melle, quo semper is delectatus fuerat.

§. XVII.

Ex ejusdem *Democriti* historia vitæ hoc porro licet colligere, quod ætatis ad annum CIX. bona cum valetudine productæ, causam mellis liberali usui præcipue adscripserit, ac percontanti cuiquam, quomodo sanitati longius providendum esset? responderit, si corporis interiora melle rigaret, exteriora oleo. Quod fortasse consilium secuti deinceps sunt alii plures optimo successu; quemadmodum *Plinius* l. c. testatur *Pollionem Romulum*, centum annos natum ab Augusto Cæsare interrogatum,

(y) I. Reg. XIV. (z) Antiquit. Convival. p. m. 56. b.

tum, quam ratione custodivisset maxime illum vigorem animi & corporis? similiter respondisse, intus melle, foris oleo. Antiochum Medicum, ac Telephum Grammaticum, valde fenes etiam integra valetudine factos perhibet Galenus (a), quod melle Attico pane excepto, plurimum usi fuerint. Quid? quod Athenaeus ex Lyco retulit, Corsos, seu incolas Corsicae insulae, ideo longaevos esse, quod melle apud eos abundantissimo nunquam non utantur. Sicut autem in producenda hominum vita putredini adversam & vere balsamicam virtutem suam egregie comprobabat, ita profecto etiam hoc nomine plurimum antecellit saccharo, de cuius facultate consimili nemo hactenus, quod ego sciam, testimonium ferre sustinuit. Equidem magnus ille Franciscus B. de Verulamio (b) eam ob causam dubitavit melli tribuere nobiliorem locum inter adminicula longaevitatis, quod illud omne habeat in se aliquid acutum, ceu ex acerrima aqua ista pateat, etiam metalla solvente, quam ex eo Chimici extrahunt; quare loco hydromellis salubriorem e saccharo potionem confici posse autumat. Verum enim vero eadem plane est etiam sacchari conditio, ut non minus acrem liquorem sive spiritum chimie artificio praebeat, quam mel, proptereaque hoc nihilo temperatius existat, merito hinc illam Verulamii opinionem reprehendente, fido alias ejus commentatore Bartholomaeo Mosero (c).

§. XVIII.

Quod si vero etiam concederem e melle acriorem, quam e saccharo liquorem arte spagyrica produci posse, parum tamen id faceret ad qualemcunque sacchari prerogativam in valetudine tuenda stabiendam. Praeterquam enim, quod a chemicorum furnorum violentis operationibus ad blandam mellis in ventriculo digestionem, ejusque mutationem, nulla sit firma consequentia,

(a) Lib. V. de sanitate tuenda. (b) Hist. vitæ & mortis p. m. 331.
 (c) Annotat. in Verulam. l. c.

tia, certum omnino est, quod saccharum, sicuti extra corpus humanum facilius fere, quam mel corrumpitur, ita quoque dissolutum in liquorem promptius quam illud acescat in ventriculo: Neque enim medici unquam mellis adeo facilem conversionem in acetum, quam in bilem deprehenderunt & accuserunt, quo nomine etiam id ipsum cholericis usu largiori damnosum iudicarunt. E contrario autem hominibus temperamenti frigidi & humidi, præsertim senibus, mel ipsum & parata ex eo alimenta, solida & liquida plurimum conducunt calefaciendo, incidendo & attenuando humorum lentorem, horumque corruptionem balsamica natura sua impediendo; unde est inprimis, quod inter senectutis præsidia tantopere celebratum mel existat.

§. XIX.

Quod si nunc multiplicem mellis utilitatem, qua in diversis humani corporis affectibus sanandis haud parum præstat saccharo, exponere vellem, ultra dimensum utique se diffunderet enarratio. Quare pauca saltem speciminis loco in medium proferam. Occurrit autem inprimis excellens abstergendi facultas in pulmonum pituitosa, quin & ichorosa colluvie, quemadmodum clar. D. Jo. Funckerus (d) ex observatione illustris D. Stablii peritum mellis usum commendavit in recentibus pectoris apostematibus non solum ad mundificandum, sed etiam ad consolidandum, qualem usum nemo facile de saccharo promittet. Hoc enim utique ad demulcendum & incrassandum magis valet, ad istam vero mellis efficaciam vere balsamicam non accedit; unde ab antiquo in aliquibus eclegmatum, quæ vulgo Lohoch vocantur, compositionibus, e g. de caulibus, de farsara, de pincis &c. mel retinetur, & saccharo antepositur laudatæ duplicis virtutis causa. Huic aliam adjungo non minus dignam commemoratione, anthelminticam nempe, seu adversus intestinorum vermes, quibus præfenti admodum veneno esse mel, contra popularem opinionem probavit

Fran-

(d) Conspect. Med. Tab. XXVI

Franciscus Redus (e), ut in nullo liquore citius interierint immixti
lumbri, quam in melle aqua diluto, certe etiam velocius, quam
in sacchari solutione.

§. XX.

Si quis hosce mellis effectus secum reputaverit, facile perspi-
ciet cum Guil. Plantio (f), mel remediis aliis sepiuscule addi,
non ad conservationem solum, aut gustus & saporis suavitatem
& gratiam, sed etiam ob vires proprias, quas simul impertit.
Hoc tamen pariter de saccharo prædicare, idemque adeo melli pro-
fus equiparare audeat Plantius, neutiquam tamen valere videtur,
cum saccharum longe simplicius, atque, si dulcedinem & suavi-
tatem excipias, medicamentosa virtute melle sit multo inferius.
Recte enim Jo. Renodeus (g) censuit, quod cum solum quoque
mel compositionem quandam in se habeat, utpote ex multarum
herbarum succo vel flore collectum, ideo omnibus aut certe quam-
plurimis valetudinibus prodesse possit, maxime tamen senibus;
ac temperamento frigidis. Eadem fere, circa mellis præstan-
tiam est Josephi Quercetani (h) sententia. Posteaquam enim
syruporum cum saccharo, ex Arabum mente, paratorum, loco
præficarum de melle compositionum, nimis liberalem usum ex me-
rito vituperavit, hunc tandem in modum pronunciat: Longe
defecatius ac purius est mel saccharo, naturaque præditum ma-
gis aërea, celesti, & ad quintam essentiam accedente, quam
saccharum.

§. XXI.

Mirum hinc videri non debet, quod tot ac tam diverse
mellis virtutes in medendo celebrentur, aliæ quidem a cruda,
aliæ a cocto magis expectandæ, quas e compluribus auctoribus
prolixè recensuit Vlysses Aldrovandus (i), summam vero brevi-
terque perstrinxit Car. Butlerus (l): Mel crudum abum va-
lidius

(e) Observat. de animal. in corp. viv. p. m. 167. (f) Schol. in Fernel.
Metb. med. Lib. VII. (g) de Mat. Med. cap. de melle. (h) Pbar-
macop. dogmat. restit. cap. XI. (i) De insectis p. m. 148. & sequ.
(l) de foemin. Monarch. five apum historia p. 194. & sequ.

lidius ducit, ac tussim laceffit, sua nempe acrimonia fortiter abstergendo, unde locum habet, ubi humores lenti ac visceri expectorandi sunt, ut in asthma humido: Coctum magis nutrit, ventrem minus solvit, mordet minus & vinus deterget, adeoque ad ulcerum sinusorum glutinationes cum successu usurpatur, adversus laterum dolores, phthisisque & alios omnes pulmonum morbos maxime conducit. Præterea mel emplastris miscetur, non solum ut corpus præbeat emplasticum, sed etiam, ut siccat, tergeat, digerat, a putredine vindicet; ideoque in Ægyptiaco unguento principem tenet locum, quoniam ulcera deterget, mundificat & callos exterit.

§. XX.

Ut autem ista omnia efficere ex voto mel queat, utique *delectu* opus est. Cum enim pro diversa stirpium natura, ex quibus id ab apibus congeritur, haud parum differant *qualitates* ejus ipsaque *salubritas*, præterea *secundum anni tempora*, bonitate variet; uti communiter optimum censetur *vernum*, deterius autumnale; Hinc *probi mellis notas* intelligere medicum decet; quas, licet multi tradiderint varie, placet tamen mihi exponere verbis laudati *Plantii*: *Deligatur mel, quod inter crassissimum & tenuissimum sit mediocre, sapore dulcissimum & acerrimum, simulque dulcedinis sensum inferens & vellicatu pungens linguam, colore pallidum aut subrutilum & pellucidum, odoratissimum & recentissimum, quodque sublatum non facile ab sequacem lentorem abruptatur, pondere grave, unde in imo vasis quod sidit supernatante pretiosius, & inter coquendum spuma parum emittens.* Cæterum decoquendi mellis non eadem fieri debet, ne amaritudinem concipiat fervore nimio, vel repente effervescat & conflagret: Aut *affusa aqua*: aut denique *aceto coquitur*, auferendo subinde spumam, quæ veluti devictæ cruditatis est trophæum. Et ista quidem, ultimo dicta, cum

aceto

aceto decoquendi methodus producit tam celebratum antiquitus oxymeli, cujus tam simplicis quam compositi varii, praesertim scillitici, meritas laudes super omnem syruporum saccharatorum dignitatem, cum alii declarant auctores, tum inprimis extollit I. c. *Quercetanus*.

§. XXIII.

Qui plura de insignibus mellis utilitatibus cognoscere desiderat, praeter jam citatos auctores, *Aldrovandum* praecipue & *Butlerum*, evolvere poterit *Georg. Pictorium* (m) & *Casparum Kburvathum* (n). Mihi quidem pauca haec in medium hactenus prolata sufficere videntur ad comprobendam thematis mei veritatem, quam multis nempe nominibus mel praestet saccharo, & quam injuste huic illud communiter postponatur. Cum tamen sapientissimo Syracidis (o) elogio mel sit ἀρχὴ γλυκασμάτων, sive principatum inter dulcia teneat. Coronidis loco huic tractationi adungere liceat *Jo. Bruyerini Campegii* (p) sententiam: Non esset mellis auctoritas minor, quam sacchari, nisi ubique nasceretur: verum quoniam plerumque ventri ac gula domestica sordent, his navigandum ad Indos, ut saccharum habeant: Mel fere ultro sese porrigit. At exotica medicamenta magis placent. Ita puto a natura comparatum, ut omnium rerum cupido elanguescat, quarum facilis sit occasio. Ceterum, sicut in contumeliam sacchari, utpote rei aequae utilis & gratissimae plerisque mortalium, nihil a me scriptum esse volo: ita meum in afferenda mellis dignitate conatum L. B. haud in sinistram partem interpretaturum confido. Divino autem Numini propter auxilium mihi hactenus clementissime praestitum, devotas nuncupo gratias, ejusdemque directioni me totum & studia mea piis precibus commendo.

(m) de Apibus Cap. XXXIX. (n) Medull. destillat. part. I. Tract. VI.
(o) Ecclesiastic. cap. XI. 3. (p) de re cibaria Lib. X. cap. 7.

NOBIL.



NOBIL. ET CLARISS. DN. CANDIDATO

S. P. D.

IO. IAC. BAIERVS D.

ORDINIS MED. SENIOR

ET h. t. DECANVS.

Petriisti a me, ut vacuum relictam extremam
 Dissertationis tua pagellam epistolio quodam
 supplerem. Hoc tametsi lubens prestare velim, du-
 bito tamen quidnam precipue adscribendum mi-
 hi sit? Ipsum enim praesens Inaugurale speci-
 men Tuum eiusmodi esse puto, cuius neque ar-
 gumentum neque tractatio displicere poterit aquis
 cordatisque Lectoribus, ut meo nihil opus sit ad-
 iiciendo calculo. Personam vero & studia Tua
 inprimis commendabit haud vulgaris, qua pol-
 les, humanitas & modestia, tum & promptus
 ille ad inserviendum aliis animus, qui sane me-
 dicum quam maxime decet ac ornat. Hac spe
 freto mihi vix quicquam addendum restat, praeter
 pium votum, ut DEVS T. O. M. fortunam
 Tuam amplificare, & benignos eiusdem Patro-
 nos excitare velit, Teque propediem probum ac
 felicem medicum evadere iubeat! Dab. ex Mu-
 seo, d. VIII. Calend. April. A. R. S.

clō lō cc XXIIII.





Altdorf, Diss., 1724

ULB Halle 3
004 187 210




f
sb.

1018







13

TATIO INAVGVRALIS
 MEDICA 1724/10
 SACCHARO
 ESTANTIVS
 DECLARANS
 QVAM
 E DIVINO NVMINE
 CONSENSV
 ORDINIS MEDICORVM
 IN
 NORICORVM PALAEOCOME
 LICENTIA
 OS IN ARTE MEDICA
 AC PRIVILEGIA DOCTORVM
 ITIME CONSEQVENDI
 ILIATORVM DISQVISITIONI
 SVBMITTIT
 MARTII A. R. S. dlo lccccxxiiii
 SCVS PETRVS MEL
 O-PRAGENSIS BOHEMVS.

ALTDORFI NORIC.
 GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

